

Meminisse præterea eorum videntur, quibus benigne fecerint: eorum autem a quibus acceperint, minime; quippe cum is, qui acceperit, minor sit eo qui beneficium contulerit; ipsi autem velint esse superiores, unde etiam illa jucunde, hæc injucunde audire consueverunt. Atque idcirco

neque Thetis beneficia Jovi dicitur commemorare, neque Lacedæmonii ad Athenienses; sed tantummodo ea quibus fuerunt affecti. Magnanimi quoque est a nemine quippiam aut vix tandem petere, sed prompte aliis ministrare. » Atque hæc est ratio a priori sententiæ Siracidis.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet opibus non esse fidendum, nec superbiendum, usque ad vers. 4, ubi tractat de conversione ad penitentiam, usque ad vers. 11. Inde usque ad finem capituli agit de constante sinceritate in dictis et factis.

1. Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris: Est mihi sufficiens vita; nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis. 2. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui; 3. et ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. 4. Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. 6. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur. 7. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. 8. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. 9. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. 10. Noli anxius esse in divitiis injustis: non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. 11. Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. 12. Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui et scientia, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. 13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas; et cum sapientia proferas responsum verum. 14. Si est tibi intellectus, responde proximo tuo: sin autem, sit manus tuâ super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris. 15. Honor et gloria in sermone sensati: lingua vero imprudentis, subversio est ipsius. 16. Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris, et confundaris. 17. Super furem enim est confusio et penitentia, et denotatio pessima super bilinguem; susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia. 18. Justifica pusillum, et magnum similiter.

PRIMA PARS CAPITIS.

1. NOLI ATTENDERE AD POSSESSIONES INIQUAS. — *τὸ ἰνίκως* jam non est in Græco, Syro et Arabico; sic enim habet Græcus et Syrus: *Ne confidas in divitiis tuis*. Arabicus: *Ne confidas in armentis tuis*. Hebræum enim *בְּקַנְיָהּ* *micne* significat et possessiones et pecora, sive armenta; in his enim consistebat priscorum, Abrahæ, Isaac, Jacob,

Job, etc., possessio et opes. Alii, *ne innitaris pecuniis tuis*; hoc enim significat Græcum *μὴ ἐπεξ*, pro quo Hebræi dicunt, *אל השען אל תסמ*. Alii pro *ἐπεξ* legunt *ἐπιχίρ*, vertuntque, *ne læteris in opibus tuis*. Noster ergo, uti vetustius, ita plenius habuit exemplar Græcum, in quo continebatur *τὸ ἰνίκως*, ut patebit vers. 11. Monet

rim Siracides, ne opibus inhiemus, præsertim per injusta lucra, ait Rabanus. Unde vers. 3, Græca Complutensis habent, *Deus enim vindicabit tuam injuriam*, qua alios oppressisti, ut habent Syrus et Arabicus, vers. 14. Rursum possessiones indigitat *iniquas*, quia sæpe per iniquitatem acquiruntur, juxta illud: « Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui hæres; » quod citat et probat S. Hieronymus epist. 150 ad Hedibiam, Quæst. I. Unde huc alludens Christus mammonæ dat epithetum *iniquitatis*, id est iniqui, *Lucæ xvi*, vers. 9 et 11, idque quadruplici sensu et causa. Primo, S. Hieronymus in cap. iv. S. Matthæi: « Divitiæ, ait, vocantur mammona, quia de iniquitate collectæ sunt, » quasi *mammona* derivetur ex *מִן* *min*, id est *a*, et *מוֹנָה* *mona*, id est violentia, a radice *יָנָה* *iana*, id est vim intulit; licet verius derivetur a *מָכַן* *taman*, id est abscondit; inde enim addito *mem* heemantico, Hebraice vocatur *מַמְמוֹן* *matmon*, et Chaldaice elisa littera *tet*, euphoniæ causa, *mammon* et *memmona*, q. d. Thesaurus absconditus; solent enim opes et nummi abscondi. Secundo, divitiæ vocantur *iniquitatis*, sive iniquæ, id est infidæ et fallaces, per hebraismum; quia vanæ sunt et mendaces, non veræ, non fideles et stabiles; sed illico possessorem deserunt et ad alium herum transeunt. Unde huc alludens Christus, *Lucæ cap. xvi*, vers. 11, ait: « Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis? » Ubi *iniquum mammonum* opponit *vero*, puta veris opibus celestibus et æternis, quæ nulli invito eripi possunt, cum terrenæ sint falsæ et mendaces, quia specie verarum opum homines fallunt; nec enim mentem explent, et cito pereunt, ac facile eripiuntur. Ita Theophylactus, Euthymius, Beda, Irenæus, Cyprianus, Cassianus, Gaudentius, et alii quos citat et sequitur ibidem noster Maldonatus. Tertio, « iniquitatis; » quia divitiæ sunt materia et illecebræ fraudum, furtorum omnique peccati, præsertim iniquitatis et injustitiæ. Quarto, « iniquitatis; » quia iniqui et impii putant eas solas esse divitias; non enim norunt divinas et cœlestes. Ita S. Augustinus, serm. 35 *De Verbis Domini*. Hasce omnes causas spectat hic Siracides. Unde capite præcedenti, versu ultimo, vetuit ærum cupiditatem et studium; hic vero vetat in iis, utpote falsis et fugacibus, collocari spem et fiduciam; versu vero proximo vitabit earumdem ad arrogantiam et fastum, abusum.

Nota metalepsin: « Attendere » enim « ad possessiones iniquas, » est eas amare, concupiscere, credere, in iis sperare, confidere, lætari, superbire; quia quæ amamus, concupiscimus et speramus, illa crebro aspiciamus, illis attendimus et intendimus; ubi enim est amor, ibi est et oculus. Unde Palæcius sic explicat, q. d. Noli opes iniquas concupiscere. Et si eas habes, neque intuitu eas dignare; indignæ sunt, quæ videantur. Jubet Dominus ne aspiciamus vinum in splendore suo; nec meretricem blandientem in pulchritudine

sua. Hæc enim conspecta pelliciunt, et velut magnes etiam ferreum attrahunt vectus. Idem, nescio an potentius efficit auri fulvus ille color: igitur ne ad ipsum attendas. Basiliscus est ille, quem attendis, aureus splendor: nisi quod ille occidit corpus, hic animam. Ergo, sicut qui in veste sua viperam invenit, non moratur eam aspiciendo; sed quam citissime potest, eam excutit et fugit: ita qui in arca habet aurum injustum, quantocius potest, aurum exterminet et fugiat.

ET NE DIXERIS: EST MIHI SUFFICIENS VITA. — « Vita, » id est victus, et vitæ subsidia. Græce: *Est mihi sufficiens ad vitam, q. d.* Ipse mihi meis opibus sufficio, alterius non egeo, nullius opus habeo; mihi enim meis sufficiens sum, imo abundans; hic enim græce vocatur *ἀντάρκως*. Ita videmus divites æstimare se sibi sufficere. Syrus, *ne dicas: Satis habeo*; Arabicus, *ne dicas: Substantia mea multa est*; Tigurina, *ne dicas: Ad vitam meam abunde sum instructus, q. d.* Habeo opes, ut agam vitam lautam, splendidam, longam, uti dicebat dives ille Evangelicus animæ suæ, *Lucæ cap. xii*, 19: « Anima, habes multa posita in annos plurimos, acquiesce, comede, bibe, epulare. » Ideoque illico « dixit illi Deus: Stulte, hæc nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. » Græce *πλουσίως*, id est *ditescens*; ut, scilicet per eleemosynas aliaque bona opera ditescat apud Deum, utque per amorem et spem in Deum, ut ei placeat, eoque fruatur, tendat, ac multa merita et præsidia apud Deum quasi divitias recondat, ibique reconditas possideat. Quare recte Regius Psaltes monet: « Divitiæ, si affluent, nolite cor apponere, » *Psal. lxi*, 11.

NIHIL ENIM PRODERIT IN TEMPORE VINDICTÆ ET OBDUCTIONIS. — Tigurina, *aggressionis*, id est, punitionis et calamitatis, uti dixi cap. ii, vers. 2, præsertim mortis, in qua avaro et injusto omnia sunt obducta et conclusa, ac de ejus avaritia, dolis et rapinis acris a Deo sumetur ultio. Falso ergo, o avaro, credis opes iniquas tibi sufficere ad vitam, utpote quæ Deum provocant, ut tibi auferat vitam. Quia enim in iis credis te habere sufficientem vitam, hinc hoc ipso irritas Deum ad adimendum tibi vitam, ut intelligas eam non ab opibus, sed a Deo pendere; utque mortalem tuam avaritiam, injustitiam et præfidentiam merita puniat morte, præsentis et æternæ. Idem monuere Poetæ. Unde Ovidius lib. V *Tristium*, eleg. 15:

Divitis ad manes nil feret umbra suos.

Propertius lib. III, *Eleg. 4*:

Haud ulla portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates

Sic etiam *Job. xxvii*, 19: « Dives, cum dormierit, nihil secum auferet. » *Psal. xlviii*, 17: « Ne timueris, cum dives fuerit homo, et cum multipli-

cata fuerit gloria domus ejus; quoniam, cum interierit, non sumet omnia;» hoc est, nihil sumet.

2. NE SECURARIS IN FORTITUDINE TUA CONCUSPISCENTIAM COTIS ΤΟΥ, — ut tibi persuadeas et dicas, Per opes viresque meas fortis et potens sum, ideoque mihi licent quaecumque libent. Hæc enim divitum opibus suis superbientium et præfidentium est vox. Unde Vatablus vertit, *neque ideo animo tuo, aut potentia, cupiditates cordis tui sequendo indulgeas*; Syrus, *ne confidas in fortitudine tua, ut ambules in desideriis cordis tui*; Arabicus, *ne fiducia habeas in virtute tua, et ne obsequaris concupiscentia tua*. Prudenter Seneca Traagedus in Troade:

Minimum, ait, libere debet, cui plurimum licet.

3. ET NE DIXERIS: QUOMODO POTUI (efficere et consequi quod volui et concupivi?) q. d. Quam potens evasi, invalui, cæterisque prævalui; hoc enim significat Hebræum יָכֹחַ iachol, id est, potui; Syrus: *Quis potens ut ego?* AUT QUIS ME SUBJICIT PROPTER FACTA MEA? — Arabicus: *Quisnam me tolerabit?* Divitum enim fastus, cupiditas, rapina, ambitio et dominatio est sæpe intolerabilis. Vatablus: *Quis me propter facinora mea perdomabit?* Alii: *Quis in me potentatum obtinebit?* vel, *Quis mei dominabitur?* Hoc enim significat Græcum, τίς με δυναστεύσει. Alii: *Cujus potentia in facta mea inquirat?* Divites enim potentes et superbi eo arrogantia sensim conscendunt, ut putent se quasi esse deos quosdam terrestres; nec esse Numen, quod eos opibus spoliare, deprimere et subjungere possit. Unde dicunt: « Quis noster Dominus est? » *Psalm.* xi, vers. 6. Ita insolenter jactabat se Nabuchodonosor dicens: « Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ? » Ideoque Deum hac sententia se fulminantem eodem momento audivit: « Regnum tuum transibit a te, et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua. Fenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuiuscumque voluerit, det illud. Eadem

hora sermo completus est, » *Daniel.* cap. iv, 29. Et blasphemus tumidusque Sennacherib: « Quis, ait, est ex omnibus diis terrarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea? » *Isaïæ* cap. xxxvi, 20. Ideoque mox angelus e copiis ejus cecidit 185 millia, ac ipsomet per filios trucidavit, *Isaïæ* xxxvii, vers. 36. Quocirca subdit Siracides:

DEUS ENIM VINDICANS VINDICABIT, — id est, omnino et acriter vindicabit, οὐ τὴν ὀργὴν, id est, tuam injuriam et petulantiam, ut addunt Græca Complut., qua, scilicet, alios depressisti et oppressisti. Unde Arabicus vertit, *Dominus enim vindex est omnibus oppressis et coactis*; et Syrus, *Dominus enim vindex est omnium oppressorum*; sed maxime vindicabit injuriam, qua Dei jugum excutere, teque Deo æquare voluisti: Deus enim sæpe alia hominum peccata, licet gravia, punire differt et dissimulat; sed cum eo assurgunt, ut divinitatem invadere, et cum Deo contendere, ac quasi duellum inire velint, illico Deus sui honoris zelotes non ferens tantam arrogantiam, tales e cælo ferere et siderare solet, ut patet ex jam citatis de Nabuchodonosor et Sennacherib. Quibus adde Tyrum ejusque regem, de quo *Ezechiel.* cap. xxviii, vers. 2: « Eo quod elevatum est cor tuum et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo, et non Deus; et dedisti cor tuum quasi cor Dei, etc., idecirco interficiet et detrahent te. Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum. » Et Pharaonem in Ægypti opibus superbientem, de quo *Ezech.* cap. xxix, vers. 3; « Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Pharaon rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et ponam frenum in maxillis tuis. Ecce adducam super te gladium, et interficiam de te hominem et jumentum. » Sic superbos gigantes theomachos Deus mersit diluvio, *Genes.* vi; et arrogantem Nemrod cum suis fabricantem turrim Babel, quæ cælum contingeret, linguarum divisione mulcavit, et per totum orbem vagos dispersit, *Genes.* xi.

SECUNDA PARS CAPITIS

QUA AGIT DE PŒNITENTIA.

4. NE DIXERIS: PECCAVI, ET QUID MIHI ACCIDIT TRISTE? (τὸ triste non est in Syro et Græcis nonnullis; illud tamen legit S. Augustinus in *Speculo*, et S. Eyprianus lib. iii *Testimon.*, ac Complutensia habent ὀνηρόν, id est, triste, grave, molestum, acerbum, anxium, infestum, miserum; cui opponitur τὸ τερπνόν, id est, lætum, hilare, jucundum, delectabile, faustum; sic enim divites

iniqui, quibus omnia ex voto succedunt, ex eo quod Deus ultionem differat, promittunt sibi impunitatem, quasi Deus vel non videat, vel non possit punire, vel non velit, aut non curet eorum fraudes et scelera: quibus respondet Deum esse Altissimum, ideoque ex alto omnia eorum scelera videre, posse et velle punire.) ALTISSIMUS ENIM (altissimam habet potentiam et providentiam, ut

singula ad libram justitiæ examinet et præmiet, vel puniat. Sed idem) EST PATIENS REDDITOR, — q. d. Deus moratur et differt reddere et retribuere mala malis, quia ipse est « patiens; » græce, μακρόθυμος, id est, longanimis, tum quia longanimitè exspectat impios ad pœnitentiam; tum quia tarditatem supplicii gravitate compensat, juxta illud: « Dii læcos habent pedes, » quibus lente pergunt ad vindictam; « sed ferreas manus, » quibus validos infligunt ictus et verbera. Unde Græca Complut. addunt: οὐ μὴ σε ἀνῆ, id est, non te dimittet impunitum; sed eo acrius puniet, quo tardius. τὸ redditor jam non est in Græco, Syro et Arabico. Arabicus sic habet, *ne dicas: Deliqui, et non sum cruciatus. Deus enim excelsus est longus patientia et benivolentia*; Tigurina, *ne dicas: Postquam peccavi, quid mihi triste accidit? Dominus enim patiens quidem est, sed impune te non dimittet*; quia enim altissimus est et potentissimus, hinc pariter altissimam habet patientiam, adeoque in ea suam potentiam, imo omnipotentiam ostendit, quod scilicet tot hominum injuriis et sceleribus indignissime lacessitur, irasci nesciat; sed iræ, indignationi, vindictæ dominetur, maneatque serenus, tranquillus, patiens, imperturbatus, benignus et clemens; sed altissimus pariter, altissimam et summam habet justitiam et vindictam, ut nihil, licet minimum, sinat impunitum. Unde unum peccatum mortale, puta, unum furtum et rapinam, æternis punit gehennæ incendiis.

Reveremini ergo, o mortales, o potentes, potentiores Dei oculos, et vultum omnia cernentem: Dei potentiam exhorrescite; Dei providentiam metuite; Dei patientiam amate et amplectimini; Dei justitiam et vindictam declinate et fugite. Hæc ergo omnia Dei attributa notantur hisce tribus Dei epithetis: « Altissimus est patiens redditor; » vel, ut Jansenius legit, « patiens est redditor. » τὸ enim patiens notat Dei longanimitatem in dilatione vindictæ; τὸ vero redditor notat ejus justitiam in irroganda justa et adæquata pœna.

Audi S. Gregorium, homil. 13 in *Evangel.*: « Conclusit, inquit, Dei pietas duritiem nostram. Non est jam quid homo excusationis inveniat. Deus despicitur, et exspectat; contemni se videt, et revocat; injuriam de contemptu suo suscipit; et tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit. Sed nemo hanc ejus longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem justitiam in judicio exiget, quanto longiorem patientiam ante judicium prærogavit. Hinc etenim Paulus dicit: Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justis judicii Dei. Hinc Psalmista ait: Deus judex justus, fortis et longanimis. Dicturus quippe longanimum, præmisit justum; ut quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc etiam quandoque districtè judicare.

Hinc per quemdam sapien tem dicitur: Altissimus enim est patiens redditor. Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum et patitur et reddit. Nam, quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos durius damnat. »

Audi et S. Paulinum epist. 18 ad *Delphinum* morbo afflictum: « Qui prosperatur, inquit, in vita sua, et viribus confertis sanitatis, inultus dicit: Peccavi, et quid mihi accidit triste? non audeat sibi de corporea felicitate blandiri, metu divinæ potestatis adstrictus ad justitiam corrigatur, dum ultricem Domini cœlestis manum impiis actibus jure expavescit, quam videt et justis severam; nam, si vos vix citra verbera castigationis evaditis, nos iniqui et peccatores ubi parebimus? » Porro S. Augustinus, lib. *De Patientia*: « Patientia, inquit, Dei prædicatur, non in hoc, quod malum aliquod patitur; sed in hoc, quod exspectat malos, ut convertantur. » Quod si nolint converti, uti patiens fuit, ita acer erit redditor et ultor.

Notat S. Chrysostomus homil. 2 in *Epist. ad Coloss.*, Deum ubique in Scriptura vocari μακρόθυμος, id est, longanimum; nusquam vero absolute vocari ὑπομένοντα, id est, patientem, eo quod longanimis dicitur is qui ulcisci potest, etsi tarde ulciscatur; patiens vero, qui tolerat, et nequit sibi injurios ulcisci et plectere. Vide Plutarchum lib. *De Sera Numinis vindicta*. Denique huc spectat Arabicum proverbium, quod exstat *Centuria* 2, num. 15: « Homo sine pœnitentia, est tanquam fluvius sine aqua; et mulier sine verecundia, tanquam lampas sine lumine; » et num. 17: « O tu, qui male egisti in eo quod præterit, esto bene agens in eo quod reliquum est. Qui non antcipat pœnitentiam ante mortem, infelix est. »

Vere stulti peccatores, qui peccando æternam damnationem incurrunt, gratiam Dei perdunt, charitatem amittunt, virtutes dilapidant, felicitatem perpetuo duraturam prodigunt; et tamen læti et hilares dicunt: « Peccavi, et quid mihi accidit triste? » Quasi non esset miserrimum tantis malis se subdidisse, et tanta bona dilapidasse; quasi Altissimus non esset patiens redditor, quasi non esset verum, quod misericordia et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Vere stulti, quos dæmones excæcant; sicut Philistæi ducem inclytum Samsonem, et sicut Chaldæi Sedeciam regem excæcarunt, ut nec ignominiosam occupationem agitando molam tam inutilium laborum aspiciant, nec ingressum in Babyloniam confusionem advertant.

5. DE PROPITIATO PECCATO NOLI ESSE SINE METU. — Ita Romana et pleraque Biblia Latina; manuscripta tamen legunt, *de propitiato peccatorum*; sicque legendum esse censent, non tantum Remitius et hæretici; sed et Glossa, Jansenius, quin et S. Augustinus in *Speculo*. Probat, quia sic habent Græca: *περὶ ἐξοικασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐξ ἁμαρτίας*, id est, *de propitiato seu propitiatione, ne sis sine timore.*

ut addas peccata peccatis. Verum retinenda est Vulgata lectio, de propitiato peccato, juxta decretum Concilii Tridentini, sess. IV; illa enim solerter explicat lectionem Græcam, uti mox ostendam.

Porro lectio Græca duplicem admittit sensum; potest enim accipi de propitiatione præterita, potest et de futura. De futura accipit Jansenius, idque colligit ex eo quod sequitur: et addas peccata peccatis, ut sensus sit: Noli tibi certo promittere, quod Deus propitiabitur peccatis tuis, quodque illorum ab eo veniam obtinebis, ut de Dei misericordia et venia ab eo obtinenda præfidens liberius pecces, et peccata peccatis accumules. Itaque, postquam superiori sententia rescuit libertatem peccandi ex præsumptione impunitatis, propter vindictæ dilationem; jam hac sententia eandem libertatem rescocat ex præsumptione facilis miserationis divinæ: quam quia plerique se facile statim consecuturos confidunt, hinc libere peccata peccatis adjiciunt; duo enim hæc sunt, quæ faciunt homines libere peccare: dilatio scilicet vindictæ divinæ, et præsumptio de facili obtinenda Dei misericordia. Quare ex hoc loco non satis firmum colligitur argumentum contra hæresim hujus temporis, quæ docet fideles certo credere debere sibi remissa esse peccata, seque esse justos, imo prædestinatos, certoque salvandos. Hæc Jansenius.

Verum alii passim melius hunc locum accipiunt de propitiatione præterita, indeque valide argumentantur contra hæresim jam dictam: sensus enim est, q. d. Esto confidas ad pœnitentiam et sacrificia pro peccato, Levit. iv præscripta, ac Sacramenta a Christo in lege nova præscribenda, tibi peccatum esse propitiatum et condonatum; noli tamen de eo esse securus et sine metu, ne forte confidentia, pœnitentia et dispositio tua sit falsa, ideoque peccatum tibi non sit condonatum; quia « nescit homo utrum amore an odio dignus sit, » Eccles. ix, 1. Rursum noli esse sine metu: quia esto culpa sit remissa, remanet tamen pœna tibi luenda, vel hic, vel in Purgatorio; et nescis an pro hac pœna ex æquo satisfeceris.

Idem est sensus Græcæ lectionis, uti solerter dvertit noster Interpres, qui ideo pro de propitiato peccato, recte et clare vertit, de propitiato peccato. Sensus enim Græcæ est, q. d. Noli de propitiatione et placatione peccati esse sine metu, quasi certus sis illud tibi esse propitiatum et remissum, ut hac persuasionem fias confidentior et audacior ad iterandum peccatum, et ad addendum peccata peccatis; quia, scilicet, tibi persuades, pari certitudine et facilitate, illa quoque, cum ad Deum ingemueris, tibi esse condonanda. Ita Bellarminus, lib. III De Justific. cap. iv; Gabriel Vasquez III, tom. II, disp. cxii, cap. iv, in fine; Gregorius de Valentia III, tractat. De Gratia, disp. viii, Quæst. IV, puncto 4; Suarez, tract. De Gratia, part. III, lib. IX, cap. ix, et alii.

Hunc esse sensum probatur primo, quia enim exigit versio Vulgata, « de propitiato peccato; » quam esse retinendam et tuendam sanxit Concilium Tridentinum.

Secundo, quia de futura peccatorum propitiatione et remissione illico subdit Sapiens: « Et æ dicas: Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. » Ergo quod hic dicit: « De propitiato peccati noli esse sine metu, » accipiendum est de propitiatione præterita, non futura: alioqui enim idem diceret, essetque tautologia, et superflua ac inanis ejusdem repetitio.

Tertio, quia de præterito peccato hic agi patet, ex eo quod immediate præcessit: « Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? » Sicut ergo ibi agit de præterita impunitate, sive remissione pœnæ; ita hic agit de præterita remissione culpæ.

Quarto, quia de præterita remissione apposite dicitur modeste: « De propitiato peccati noli esse sine metu, » non de futura. De futura enim asperius et rigidius dicendum esset: Omnino metue, fuge et horre peccatum futurum, quia plane incertus es et dubius an illius veniam consequeris, tum quia nescis an illo peracto supervives; forte enim Deus in flagranti delicto, aut paulo post morte subitanea te puniet; tum quia nescis an Deus dabit tibi gratiam efficacem, ut pœniteas eo dolore et proposito serio qui ad remissionem requiritur.

Quinto, quia Syrus et Arabicus verunt, ne confidas de remissione, quasi persuadens tibi peccata jam esse remissa: ne peccata peccatis addas. Et Tigurina, quam admittunt, imo sibi arrogant hæretici: Super data venia ne sis securus, ut peccata peccatis amplius accumules.

Sexto, quia simili modo ait Eccles. cap. xx vers. 1: « Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. » Ubi duplicem sollicitudinem exigit, unam pro futuris, alteram pro præteritis; unde ait: « Et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. » Quibus verbis significat, eum qui peccavit, semper æbere esse sollicitum obtinendæ remissionis; quia nimirum, nunquam potest esse certus quod illam obtinuerit. Sic igitur et hic monet primo: Ne sis securus de remissione præscripta, quasi certo existimes te illam a Deo accepisse: sed adhuc conteraris, et sollicite ores, ut tibi peccata dimittantur deinde, ut caveas in futurum, et non addas peccato peccatum spe facilis indulgentiæ.

Denique, et si daremus hæreticis hic agi de propitiatione futura, tamen inde recte colligeremus idem de præterita. Cur enim tibi metuendum est de propitiatione futura? Utique, quia nescis an veram seriamque acturus sis pœnitentiam. Ergo, sicut non es securus de propitiatione futura; sic nec de præterita.

Dices: Hic agi de propitiatione futura, non præterita, arguit id quod sequitur: « Multitudinis

peccatorum meorum miserebitur. » Respondeo, illa verba non pertinent ad priorem hujus versiculi partem: « De propitiato peccato noli esse sine metu, » quia hoc jam est propitiatum et præteritum; sed ad posteriorem: « Neque adjicias peccatum super peccatum. » Ecclesiasticus enim hic ponit duas præsumptionis species: primam, præsumptionem remissionis peccatorum præteritorum; secundam, futurorum.

Dices secundo: Ambrosius Catharinus, opus. De Certitudine gratiæ, ubi docet justos posse esse certos certitudine, non fidei, sed theologica, de sua remissione et gratia, fatetur quidem hic agi de propitiatione præterita: attamen metum refert non ad eam, sed ad futuram in peccatum recidivam, q. d. Esto certus sis propitiatum tibi esse peccatum; tamen noli plane esse securus et sine metu, ne videlicet in idem aliudve peccatum ex præfidentia iterum recidas et prolabaris; ac si dictum esset: Propter propitiationem, quam accepisti, noli esse sine metu. Verum aliud est propter propitiationem, aliud « de propitiatione noli esse sine metu. » Ratio Catharini est: Metus omnis est de futuro, non de præterito; de præterito enim malo dolemus; at non nisi futurum metuimus. Respondeo, metum etiam esse de præterito, cum præteritum respectum hæret ad futurum, v. g. metuit reus ne advocatus non satis efficaciter causam suam egerit, ut propterea a giudice sit damnandus. Sic hic metuit justus, ne peccatum non sit sibi condonatum, ut propterea a Deo sit puniendus, et mancipandus gehennæ.

Porro metus hic de propitiato peccato non est is, quo quis metuit ne Deus peccatum propitiatum revocet, iterumque imputet ei qui illud commisit; sicut homines subinde debita et offensas remissas revocant et puniunt. Nam, quod Deus semel condonavit, semper et in æternum condonavit: « Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei, » Rom. xi, 29.

Denique in abundantia, id est, multum, quod habent Græca, tum ad præcedens referri potest, q. d. De propitiato peccato noli esse securus multum; tum ad sequens, q. d. In abundantia, id est abundanter, ne addas peccata peccatis, ne eorum copiam accumules. Nove Novator quidam sic vertit et exponit: « De expiatione securus ne esto in abundantia, » q. d. « Ne confidas opibus tuis fore ut iis redimas peccata tua. »

Moraliter, Spiritus Sanctus justis omnibus hic sanctum timorem inculcit. Non enim vult eos de venia et justitia esse certos, sed timidos et pavidos, ut hoc timoræ humiles semper existant, æque ac cauti et ferventes in studio pœnitentiæ cæterarumque virtutum. Equidem et rei tantæ magnitudo, quanta est salus æterna, hoc efficere in omnibus hominibus debet, ut nunquam sibi satis cavisse existiment; et peccatorum odium, neque, tam turpis rei, si verum est odium, hoc quoque requirit, ut ea etiam condonata, nos ta-

men ultro vindicemus, et quasi hostes, qui tantopere nocuerunt, voluntariis pœnis puniamus. Est enim in hoc genere valde considerandum quod lib. IV Moral. cap. xvii, S. Gregorius ait: « Nullum peccatum Dominus inultum relaxat; aut enim nos flendo insequimur, aut ipse judicando reservat. » Atque idem, lib. IX Moralium, cap. xvii, hoc etiam illo sacræ Scripturæ testimonio confirmat, ubi beatus Job Domino loquitur: « Sciens, inquit, quod non pareceres delinquenti. Delinquenti Dominus non pareit, quia delictum suum ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans punit. » Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur.

Quo etiam pertinet illud S. Augustini dictum, quod merito laudatur a Possidonio, qui ejus vitam scripsit, qui hoc monere solebat, « etiam laudatos quoslibet sacerdotes, nunquam committere debere, ut sine justa et congruenti pœnitentia ex hac vita decederent. » Ita S. Petrus peccatum negationis Christi, licet sibi remissum, tota vita flevit, et quotidie ad gallicinium ejus memor ubertim lacrymabatur, adeo ut ex assiduo fletu oculos haberet rubicundos et quasi sanguine respersos, teste Nicephoro lib. II, cap. xxxvii, et Baronio, anno Christi 69, cap. xxx. Ita S. Magdalena, licet a Christo audisset: « Remittuntur tibi peccata, » tamen usque ad mortem ea deflevit, ac ab hominum omnium conversatione in Bañam secedens, ibique pœnitens omnibus seculis vivum pœnitentiæ exemplar seipsam constituit.

Idem fecere S. Pelagia pœnitens, S. Maria Ægætiaca, S. Guilielmus Aquitanicæ Dux, conversus S. Bernardo, multique alii, ut peccati veniam, gratiam et animæ salutem assecurarent, ac in tu collocarent. Tremenda enim est sententia S. Ambrosii, lib. II De Pœnitentia, cap. x: « Facilius, ait, inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui: se ipsum homo abneget, et totus immutetur. » Subdit exemplum: « Sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt, propter amores meretricios peregre profectum, et abolito amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ: quæ, ubi non interpellata, mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum, responderit ille: Sed ego non sum. Unde bene Dominus ait: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Etenim qui mortui et sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere. Ne tetigeritis (inquit), nec ataminaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam

ipso usu, eo quod ipse hujus vitæ usus corruptor sit integritatis.»

Denique audi quid Gregoriæ, quæ Imperatrici erat a cubiculo, flagitanti, ut remissionis peccatorum revelationem et certitudinem acciperet, rescribat S. Gregorius, lib. VI, *epistola* 22: «Rem, inquit, difficilem et inutilem postulasti: difficilem videm, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secunda de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis: quæ dies quousque veniat semper suspecta, semper trepida meture culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus Apostolus jam ad tertium cælum ascenderat, in paradysum quoque deductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret; et tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cælum ducitur; et jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur?»

Porro finis et fructus hujus sententiæ est, ut ex ea profunde nos coram Deo humiliemus, ejusque sacro metu percellamur, ac cum timore et tremore nostram salutem operemur, cogitantes quod certi sumus nos Deum offendisse, incerti an offensam nobis condonarit. Idque significant verba S. Gregorii jam recitata; hic enim metus acer est stimulus ad veram pœnitentiam omnemque virtutem; quocirca veniam et salutem nobis quasi assecurat: ipse enim est donum Dei, quod Spiritus Sanctus electis immittit solet, ut per illud quasi per viam regiam eos deducat ad suam felicitatem et gloriam: qui ergo illum in se sentit, sciat se habere pignus suæ salutis. Unde S. Bernardus, serm. in illud *Proverb.* iii, 13: *Beatus homo, qui invenit sapientiam.* «Invenisti, inquit, plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si hujus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas.» Idem, serm. 15 in psal. xc *Qui habitat*: «Est, inquit, is ipse timor firmissima quædam et efficax materia spei. Siquidem maximum quoddam Dei donum timor iste, et ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum. Postremo beneplacitum est Domino super timentes eum (*Psal.* cxlvi, 11), et utique vita in voluntate ejus, et in beneplacito ejus salus æterna.» Idem, serm. 54 in *Cant.*: In veritate didici nihil æque efficax esse gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* *Proverb.* xviii, 14. Huc facit illud *Isaia* xxvi, 8, juxta *Sep-tuaginta*: «A timore tuo, Domine, concepimus, et peperimus spiritum salutis.»

NEQUE ADJICIAS PECCATUM SUPER PECCATUM. — Est hæc altera, ut dixi, præsumptionis species, qua quis præsumens de Dei misericordia peccata

peccatis accumulatur. Unde eam explicans subdit:

6. ET NE DICAS: MISERATIO DOMINI MAGNA EST; MULTITUDINIS PECCATORUM MEORUM MISEREBITUR, — ut ea mihi, cum pœnituero ejusque misericordiam imploravero, illico condonet. Unde Syrus hunc versum transponens, et præcedenti præponens, æque ac Arabicus, ita vertit, *ne dicas: Misericors est Dominus, et multitudinem debitorum dimittet mihi.* Est enim præsumptio hæc peccatum in Spiritum Sanctum: quia misericordia et bonitate ejus abutitur ad malitiam, eamque torquet ad iterandum peccata. Misericordia Domini, ait Palacius, magna est, non ut adjicias peccata, sed ut remittenda credas, si amplius ea non committere decernas. Immane flagitium est, misericordiam Dei lenam facere diaboli; eamque quod per misericordiam, per quam Deo conjungi debueras, diabolo conjugare. Ergo misericordiam, quam Deus in asylo peccatoribus proposuerat (in templum sancti Dei, ubi esset Deus propitiandus), tu fecisti velut lupanar diaboli, ubi diabolo festa celebrantur. Ergo ne in misericordia ad peccatum confidas; nam misericordia et ira ab illo cito proximant.

7. MISERICORDIA ENIM ET IRA AB ILLO CITO PROXIMANT (Græce ταχυνται, id est, *festinabit*, cito veniet). ET IN PECCATORES RESPICIT (Græce ἀποσκοπεῖ, id est, *requiescet*) IRA ILLIUS, — q. d. Sicut Dei misericordia cito adest et subvenit pœnitentibus, ut Magdalenæ, latroni in cruce, Saulo, etc., ita et ira Dei cito ingruet peccatoribus impœnitentibus, eosque subito et ex improvise nil tale expectantes occupabit, ut præoccupavit Luciferum, Cainum, Saulem, ac omnes homines in diluvio, et Sodomitas in conflagratione Pentapolis. Peccatores vocat eos, qui habitum habent peccandi, in eoque se obfirmant et obdurant; ad hos enim pertinet, non misericordia, sed ira et vindicta Dei; imo super eos requiescet jugiter et in æternum, nimirum, in æternis gehennæ tormentis. Unde Syrus vertit, *quia misericordia et ira cum eo sunt, et super impios morabitur furor ejus*; Vatablus, *tam enim ira, quam misericordia festinat ab eo, et in scelerosos furor ejus incumbet.*

Porro Palacius *ne cito proximant*, tripliciter explicat. *Primo, q. d.* Cum peccatoribus ira venit, quamvis tardissime veniat, cito venisse videtur, Adeo enim demersi sunt in deliciis suis, ut breve videatur quod longum est. Ita enim cum nimis delectamur aliquid videndo, audiendo, gustando, brevis omnis mora videtur. *Secundo,* brevis est vita nostra. In tam brevi spatio nihil est tardum. Ideo miseri dicunt: «Nos nati statim desivimus esse.» Lege quæ viri pii et quæ iniqui dicunt de vitæ nostræ brevitate, *Sapient.* cap. v. *Tertio,* omne peccatum ex natura sua citam pœnam requirit, si cito illa non venit, id est misericordia Dei. Sed aliquando permittit Deus pœnam jure sævire; tunc cito venit.

Rursum pondera *ne respicit, q. d.* Ut leo famelicus, in objectum sibi cadaver respicit, in illud

cupiens insilire: ita ira Dei in scelera nostra coniectos oculos habet, gestiens in illa desilire; et desilit actu, cum per misericordiam Dei sibi facultas non denegatur.

Quarto, aliqui sic explicant, *q. d.* Festinat quidem ira divina ad peccatores in suis malis obstinatos puniendos; at in ea festinatione non procedit solitaria, sed comite misericordia; quæ tunc maxime elucet, cum peccatores cito feriuntur, ne, si diutius suis sceleribus vacare permittantur, majora ad supplicia reserventur. Ita S. Chrysostomus, homil. 25 in *Genes.*, docet festinare Dei ultionem, cum homines in peccatis obdormiunt; idque non tantum ex justitia, ut eos puniat, sed etiam ex misericordia, ne gravius puniat, quos prævidet, si diutius supersint, gravius peccatores, ideoque acerbius puniendos.

Tropologice, Rabanus hic docet quemlibet justum semper ob oculos sibi ponere debere tam justitiam et iram, quam misericordiam Dei, ut ex illa timorem, ex hac spem concipiat et alat. «Beneplacitum est enim Domino super timentes eum, et in eis qui sperant in misericordia ejus. Hinc in lege præceptum est *Deuter.* xxiv, 6: Ne auferas loco pignoris inferiorem et superiorem molam. Superior enim mola est spes, inferior est timor; spes enim ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit.» Hæc ergo duæ molæ, id est, duo lapides molares, jungi debent: «Ut una sine altera inutiliter non habeatur. In peccatoris enim pectore incessanter debet spes et formido conjungi; quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat; incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat.» Hæc Rabanus.

8 et 9. NON TARDES CONVERTI AD DOMINUM, ET NE DIFFERAS DE DIE IN DIEM (ut usurpes corvinum cras, cras convertar, et vitam in melius commutabo. Rationem subdit): SUBITO ENIM VENIET IRA ILLIUS, ET IN TEMPORE VINDICTÆ DISPERDET TE. — Legit Interpres cum Romanis, *ἐξολοθρευθήσῃς*, id est, *disperdet te*; sic et S. Augustinus in *Speculo.* Verum Complut. legit, *ἐξοθήσῃς*, id est, *disperderis*; alii *ἐξοθήσῃς*, id est, *auferet te*. Porro Complut. quædam interserunt adduntque, sic enim habent: *subito enim egreditur ira Domini; et cum negligens fueris, detereris, et in tempore vindictæ disperderis*; Syrus, *ne cuncteris pœnitere coram Deo, et ne impedimentum patiaris, (q. d. Omnem pœnitendi remotionem abruinpe et perfringe) de die in diem; quia repente egreditur furor, et in tempore retributionis perditio*; Vatablus, *ne differas converti ad Dominum, nec diem ex die luas; nam ira Domini repente erumpet, rerumque securus, profligaberis, et tempore ultionis peribis.* Quis enim viperam lethiferam manu ferat, et non statim excutiat? Quis pestem in corpore alat? Quis hostem capitalem intra mœnia ferat? Quis cadaver vermibus horridum domi toleret? Quis dæmonem in mente gestet? Peccatum lethale est vipera, est pestis, est hostis, est

cadaver, est dæmon; illico ergo ut illud sentis, totis viribus pœnitendo excutias.

Audi S. Basilium *Admonit. ad filium spiritalem*, sapienter eum de cita pœnitentia monentem: «Quando, inquit, te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam cito converti non confundaris; qui enim hic pœnituerit, in novissimo non pœnitabit. Clementer enim Dominus ad pœnitentiam confugientes suscipit. Et ne misericordia Dei fretus peccata peccatis adjicias, ne velis drcere: Donec viget ætas mea, carnis concupiscentiam exercebo, et postremo in senectute molorum meorum pœnitentiam geram; pius namque est Dominus, et multum misericors, nec ultra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter, fili, cogitare; quia summa stultitia est, hoc in mente apud Dominum concipere, cum et impium sit talem licentiam a Deo expectare quempiam.» Causam subdit: «Noli, inquam, sic cogitare, cum nescias qua die moriturus sis; quis enim novit hominum diem exitus sui? non enim omnes in senectute privabuntur hac luce; sed in diversis ætatibus de hoc mundo migrabunt; et in quibus actibus vocabitur homo, in hisdem necesse est reddere rationem; nemo enim in inferno confitebitur Domino. Sed nec tu cuncteris ad pœnitentiam converti. Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies: cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; et cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut facilius te possis refrenare ab omnibus vitis. Semper cor tuum promissa cœlestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent.»

Audi et S. Ambrosium (vel potius Victorem Carthagenæ episcopum, ut patet ex fine libri, ac ex Gennadio et Trithemio *De Scrip. Eccles.*), lib. *De Pœnitent.* cap. xxviii: «Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim venit ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te. Et iterum: Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur; et ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas: Miseratio Dei magna est. Misericordia enim et ira ab illo. Nec nos usque ad mortem fieri mancipia patiamur, nec demus corpora nostra scelerum ditioni; sed obediamus Apostolo dicenti: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obedias ei; ut quia peccata deesse non possunt, certe non regnent; hoc est, ne sine respectu evadendi fiat abrupta licentia peccandi.» Et mox: «Unde, cum nobis inopinatus sit exitus terminalis, et vitæ nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula, quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat, cum utique audiat dicentem Scripturam: Vivens et sanus fateberis et laudabis Deum, et in partem vade sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem. Dilatio enim temporis confessionem creet, et